



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Cornelii Iansenii Episcopi Iprensis Avgvstinvs

In Qvo Genuina sententia profundissimi Doctoris de Auxilio gratiæ medicinalis Christi Salvatoris, & de prædestinatione hominum & Angelorum proponitur, ac dilucidè ostenditur

Jansenius, Cornelius

Lovanii, 1640

80. Disputationes istas arbitrantur fieri citra periculum laedendae fidei.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13704

Strinamque puram putam Pelagianam continet, quam Augustinus & in eodem loco, & alijs pluribus, refutavit. Quod qui pluribus ostentum sibi velit, legat ea quæ ex professo de hac re scripsimus, cum de Semi-Pelagiana hæresi & de modo operandi gratiæ tractaremus. Hic tantum animadvertat Lector, locum totum in eadem quam paulo ante diximus, ventilatione non asseri sed in favorem adversarij disputari, ut in sequenti capite, vera totius difficultatis solutione allata resolvetur.

Ut vero omnibus modis ostenderent isti recentiores, quanto pere sibi sententia Massiliensium à Pelagianis derivata rationi consentanea videatur, tertio lapsi etiam quartum addiderunt, in re perinde capitali, à qua tota gratiæ medicinalis natura dependet. Nam ut persuaderent, veram Christi gratiam non alium habere operandi modum, quam ipsi gratiæ suæ sufficienti & congruæ tribuunt, ut Deus videlicet voluntatem eâ gratiâ præparatam expectare dicatur, & ab ejus tandem nutu pendeat indifferente velle vel nolle, locum ex quæst. 2. lib. 1. ad Simplic. sibi summo opere, nec immerito, favere judicarunt. Sic enim ibid. Aug. ait: *Aliter Deus præstat, ut velimus, aliter præstat, quod voluerimus. Ut velimus enim & suum esse voluit & nostrum, suum vocando, nostrum sequendo. Quod autem voluerimus solum præstat, id est, posse bene agere, & se per beatè vivere. Ex quo conficiunt, gratiam esse talem, quæ mentem quidem excitet, consensus tamen nostræ libertati committatur, prout ipsi hoc intelligere solent. Sed etiam iste locus ab Aug. pro tuendo quoquo modo errore, quo ante Episcopatum laborabat, disputando profertur, & in eodem loco refutatur. Constat enim Semi-Pelagianum errorem, quo nondum Episcopus factus putabat primam voluntatem credendi, non aliter esse à Deo, nisi quia præcederet præconium veritatis, live ut hic loquitur, quia vocabatur voluntatem vero sequendi nostram esse, & nostræ libertatis, ita ut non peculiari gratiâ à Deo donaretur. Quod postmodum Deo revelante peritior detestatus est. Vnde in eodem loco, unde objecta verba avulsa sunt, error istis verbis implicatus refellitur. Quod qui perspicue intelligere velit, & objectionem Semi-Pelagianam loco Catholice doctrinæ arreptam esse non dubitet, legat ea quæ fusè & ex professo de isto loco alibi diximus.*

Et istas quidem tam enormes, & capitales hallucinantibus mentis aberrationes, quis talibus viris crederet obvenire potuisse? Quis cum acciderint, non exhorrescat, ad illud doctrinæ recentioris edificium, quod talibus fundamentis tam generalibus & per universam gratiæ Dei materiam sese diffundentibus impositum fuit? Cùm enim omnia ista principia, quæ Aug. esse opinatur, ex diametro Augustinianis adversentur, ut quod ille naturâ, hi gratiâ vocent; quod ille adiutorij quo, isti sine quo non; quod ille sine quo non, isti quo; quod ille per gratiam, hi per liberam voluntatem fieri; quod ille er-

rores, isti Catholice ac traditam ab Aug. doctrinam putent; quis terram cælo misceri, & universam eorum doctrinam inexplicabiliter perturbari miretur? Sed malo Christiano prudenti Lectori hanc ataxiam, in quam viri docti & boni ex rei obscuritate ac difficultate imprudenter lapsi sunt, silentio potius perpendendam & gemendam relinquere, quam verbis asperioribus exaggerare.

NOTA LXXX.

Disputationes istas arbitratur fieri citra periculum ledende fidei.

AD postremum cùm animadvertent Massilienses sese Aug. & Ecclesiæ Catholice auctoritate ad deponendas periculosas opiniones suas posse premi, quæstiones istas esse subtiliores, ac citra Catholice fidei læsionem tanto agitari posse dixerunt. Vnde Prosper Augustino: *Ac primum quæ plerique non putant, Christianam fidem hæc disputatione violari, quantum periculi sit in eorum persuasione, præstaciam.*

Ne quid perfectam similitudinem deficeret, etiam istud novis istis opinionibus libere tucendis velum præteritur. Putant enim in omnibus illis, quibus à ceteris in hoc argumento dissentiant magnam esse relictam à veteribus opinandi, disputandique libertatem, tanquam à quibus nihil adhuc definitum sit. Itaq; Lessius quodam loco, cum in ijs quæ expresse definita sunt, Catholicos Doctores convenire dixisset; *tamen, inquit, in nonnullis subtilioribus adhuc est controversia, que ante viginti annos non parum in Belgio, deinde in Hispania multorum conversatione viguit. Sub quibus subtilioribus capitula illa comprehendit, quibus Christi medicinale adiutorium ab adiutorio primi hominis distinguitur, ceteraque omnia, quæ tantâ virum contentione de gratiâ & prædestinatione ventilantur. Quorum pleraque per antiquitatis incuriam aut imperitiam apud recentiores oblitterata, iam olim accurate debita sunt. Et alibi schola disputationem vocat utram gratiæ prius naturâ influat in opus, quam voluntas. Et quæcumque in scholis de hoc argumento tanquam nova vel periculosa redarguuntur, mox juxta illud vulgatum Celestini Pontificis ad profundiores & dis-*

vide Lessium postiores partes occurrentium quæstionum pertinere. ibid. c. 15. ita non necesse habebat asserere. Sub quibus profundioribus occurrentium quæstionum partibus, longe alius comprehendisse Celestinum; nos alii declaravimus. Et de prædestinatione loquens: Repetenda potius erunt huiusmodi principia, ex quibus talis ratiocinatio ducitur, quam quævis animi pericula, CVM AB ECCLESIA NIHIL HIC DEFINITUM SIT.

D Et hæc sufficient, arbitrator, ut quæ sit inter Massiliensium & Scholasticorum istorum sententiam discrepantia & convenientia, dignosci possit. Legat, ponderet, judicet Lector Christianus: Et ita Massilienses caveat, ne forte specie doctrinæ subtilioris, per arabages unde egressus fuerit, revertatur.

*Lib. 7. de
har si Pel.
c. 15. & lib.
2. de grat.
Chrys. Sily.
c. 30. late.*

*Suar. 2. lib.
3. ut augul.
c. 9. n. 6.
Bellarm. lib.
3. de grat. &
lib. 2. c. 11.
L. ff. de grat.
c. 1. n. 6.*

*Aug. lib. 1. q.
2. ad Simp.*

*Videlib. 2.
de grat. Chri.
Suar. c. 30.
1910*

*Prosper. in
Epist. ad Aug.*

*In Epist. de
div. lib. de
Erat. c. 11.*

*Lib. de grat.
c. 10. n. 7.*

*Vide Lessium
ibid. c. 15.
n. 4.*

*Idem Lessius
in præfat. ad
Lector. libri
de prædest.*